ORATIO

HABITA IN ÆDIBUS
Collegii Medicorum Londinensium,
25 Jul. 1661.

Die *HARVÆI* Memoriæ dicato,

AB

EDOUARDO GREAVES Baronetto,

Ejusdem Collegii Socio,

ET

Medico Regis Ordinario.

LONDINI:
Excudebat *Jacobus Cotterel*, pro *Samuele Speed*,
apud quem veneunt ad Insigne Iridis in vico
vulg. vocat. *Fleetstreet*. 1667.

Julij primo 1676, Antonij à Wood, ex dono

ORATIO

BIBLIOTECA NACIONAL
BUENOS AIRES

LECTORI S.

DIrum illud incendium quod nobilissimæ Vrbis maximam partem nuper absumpsit, inter alias perquam magnificas ædes etiam Medicorum Londinensium Collegium, & splendidissimam Bibliothecam Harveianis sumptibus structam, & ornatam in cineres redegit. Quanquam verò loci illius celeberrimi & Harvæi per totam Europam studiis suis & benefactis notissimi gloriam nullæ flammæ abolere possint, ne tamen cum parietibus & saxis Gymnasii illius quondam florentissimi, & Harveianæ munificentiæ memoria aliquatenùs periisse videatur, operæ pretium esse duxi Orationem hanc in Sacrario illo habitam, & Patroni nostri Harvæi famæ dicatam in publicum emittere, ut gratitudo saltem nostra etiamnùm superstes, & flammis illis minimè

absorpta censeatur. Medicinam mortalibus non utilem tantùm, sed & planè necessariam esse, innumeris antehac experimentis abundè demonstratum est, cujus præstantia & insignia erga genus humanum merita aliquos (uti spero) opibus & virtute præcellentes viros ad Harveianam *liberalitatem imitandam, & si modo velint, superandam quoq; excitabunt, ut Collegium illud & Apollinea Domus, unde tot Medicorum & Artium Lumina effulserunt, non modo in publicum Londinensis Urbis, sed Orbis etiam Literarii commodum & honorem restauretur, & è ruinis suis ac flammis illustrior exurgens pristinam famam secuturâ gloriâ vincat, & seipsam novo splendore & dignitate longè antecellat. Quod si aliorum benefactorum munificentiæ post nobile* Harvæi *exemplum, & optimi cujusq; spem & vota dissertatio hæc stimulum & calcar addere possit, nec me laboris, nec amicos nostros (qui eam typis mandari suaserunt) consilii sui pœnitebit.* Vale.

Insignissime

Insignißime Præses, Literatißimi Collegæ, Doctißimiq; Viri!

Quod Oratori maximè optandum summoq; studio annitendum est, id me felicitèr consecutum video, ut vos jam nunc faventes, & benevolos habeam Auditores. Neq; hoc mihi, sed *Medicinæ* potiùs beneficium debeo, quæ cum vos omnes sui cultores meritò nacta sit, mihi de Medicinæ præstantiâ dicturo candorem vestrum & benevolentiam ultrò conciliavit. Hoc verò me anxium sanè & sollicitum tenet, quòd neq; illius Majestate, neq; vestrâ expectatione digna satis

eloqui possim. Nam ad divinam artem prædicandam divinâ pariter & plusquam humanâ opus est facundiâ. Mihi autem in recensendis Artis hujus laudibus minùs video laborandum, cujus Vos viva adestis encomia, ac spirantes pænè Panegyrici. In vobis enim Artis hujus præconia, & virtutes pulcherrimè elucent, quæ insigniorem longè à vestris meritis quàm à nostrâ oratione splendorem accipient. Enimvero totam se sibi suisq; imputat Medicina, cujus sublimis adeò & elata est gloria, ut eam eloquentia vix assequi sanè, nedum augere possit. Dignitatis suæ secura, nihil moratur Rhetorum fucos, neq; ascititiis aut emendicatis coloribus, sed nativâ & germanâ pulchritudine omnium oculis conspici gaudet. Munere itaq; hoc mihi ab optimo Præside demandato ut optima pariter fide perfungar, eximiam Artis nostræ dignitatem, & singularem erga Athenas hasce HARVÆI Munificentiam vero proprioq; non speciosо aut ficto sermone recensere conabor. Tot quidem Medicinæ encomia deberi fatendum est, quot illa mortalibus beneficia subministrat, quæ tamen universa si hic enumerare aggrederer, difficillimum esset orationis

terminum invenire, neq; enim illa benefaciendi finem ullum ſtatuit, ſed miſeris quibuſcunq; facultates ſuas & opem liberali manu diſpenſat, cunctiſq; Numen ſuum invocantibus adeſt propitia, & ſalutarem languentibus dextram porrigit. *Vitam* hominibus largiri ſolius Naturæ Authoris beneficium agnoſcimus; datam verò conſervare & tueri, immò fugientem ſæpè retinere & revocare, idem ille Conditor noſter Medicinæ officium & munus eſſe voluit. Quamprimum vitali aurâ fruimur, & in terram velut communem animantium omnium patriam admittimur, illicò Medicina nobis cuſtos & quaſi gubernatrix aſſignata eſt. Illa intermedios ægritudinum turbines & procellas navis noſtræ curſum dirigit, ac periclitantes & jamjam naufragium paſſuros, ad optatiſſimum ſalutis portum ſalvos & incolumes perducit. Quocirca viros Medendi peritiâ maximè inſignes, priſci mortales non præmiis tantùm & honoribus, ſed divino etiam cultu, & religioſâ veneratione dignos cenſuerunt. Apollinem, Æſculapium, alioſq; ut Medicorum, ita Deorum quoq; in numerum relatos ſcimus; tantumq; huic Arti tribuit Antiquitas, ut eam vix humanâ ope vel in-

genio inveniri potuiſſe crediderit. Sed fictitios hoſce Deos nihil moramur, quibus credula nimis ſuperſtitio Divinitatem & Numen contulit. Quod ſi à Cœlo, & ſuperis Medicinæ laudes deducere placeat, illud potiùs exemplum commemorare liceat, quo nullum illuſtrius aut glorioſius cenſendum eſt; quod divinæ literæ & ſacra oracula palam teſtantur. Æternus ille Patris Filius ſalutis noſtræ author & Princeps *Medici* nomen ſibi aſciſcere dignatus eſt, & divinæ naturæ humanam adjungens, non animabus tantùm ſalutem, ſed corporibus quoq; ſanitatem impertiit. Imò ſe animarum medicum eſſe nullo argumento libentiùs comprobavit, quàm corporum morbos & omnis generis ægritudines ſubmovendo. Cœleſte igitur & planè divinum opus eſt, ægrorum ſaluti conſulere: ideoq; propitium nobis & amicum Numen, miſeris mortalibus maximum hoc vitæ ſolamen & ſubſidium, immò alteram quaſi vitam, Medicinam indulſit. Cæteras quidem Artes, aut voluptas, tanquam Magiſtra, edocuit; aut ſagax utilitas deprehendit; hanc vero juncta rationi *Neceſſitas* in orbem introduxit, ut ruenti in pernitiem generi humano obviam iret, & fatalem

rotam

rotam rapidiſſimè decurrentem, ſufflaminaret. Si legibus ab hac ſancitis obtemperantes viveremus, idem eſſet noſter, qualis ſupra Lunam mundi ſtatus eſt, ſerenus ſemper & tranquillus, nullo turbine aut tumultu incitatus, nullis adverſæ valetudinis tempeſtatibus aut procellis concuſſus; nec præſentium Morborum ſenſus, neq; futurorum metus quempiam cruciaret; ſed læti ſemper & felices, ſuaviſſimo illo ſanæ mentis ſaniq; corporis conſortio frueremur. Verùm quod optimis ſæpè Regibus, idem Medicinæ quoq; haud rarò contingit; cùm benè fecerit, malè audire. Nonnullos ſcilicet ingratiſſimos habet munerum ſuorum interpretes, qui gratiarum loco querelas effundunt, & pro tot beneficiis calumniam reponunt. Ob benignam ſalutarium remediorum copiam, & innumera herbarum ſuccorumq; genera, non aliam refert laudem Natura parens, quàm ſi tot venena peperiſſet. Divinam medendi Artem, tanquam mortalium carnificinam criminantur. Siquidem horum judicio durum & immiſericors videtur, per pharmaca noſtra ægrotis vim inferre, & perituris ſuccurrere, crudelitas nominatur; tam ſanari moleſtum eſt, quàm languere miſerum;

atq; hinc morbi, illinc Medicinæ pari utrinq; tædio laboratur. Delicati nimis homines, qui omnia voluptate, non usu metiuntur; & quicquid gulæ haud arridet, ut corpori quoq; inimicum damnant. In ea scilicet incidimus tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia ferre possumus; & in Medicinam culpa transfertur, si quid doloris nostrâ intemperantiâ efferatior morbus intulerit. Fatendum certè, vel potiùs deplorandum est, Artem hanc omnium celeberrimam, vilissima quædam mancipia turpitèr nimis contaminâsse! scelestis & prophanis quasi manibus rem prorsus sacram attrectantes. Nequissimi scilicet homunciones hujus scientiæ puritatem fraudibus suis denigrarunt, & intolerando scelere castissimam olim virginem in scortum & vile prostibulum turpitèr commutarunt. Tantam arti perniciem intulerunt, ut ipsa jam tot malorum multitudine obruta laboret Medicina, & quæ toti terrarum orbi succurrit, de propria salute dubitare videatur. Infamis quisq; Agyrta sacrum Medici nomen involat, sua tantum audacia & aliorum stultitia fretus; illud Oratoris præceptum probè edoctus, semel amissâ verecundiâ

cundiâ oportere gnaviter esse impudentem. Præstigiis fraudibusq; probè instructus, frequens in hac Urbe grassatur impostor, auri & ventris fame stimulante, omnes plateas circumit, unamquamq; penè domum explorans, ubi fatuos tandem aut inveniat aut faciat. Strenuus mentiendi artifex auritæ & asininæ plebi virtutes suas & miracula ingerit. Quot morborum catervas vicerit atq; expugārit, suspensæ per parietes loquuntur tabellæ. Morborum tropæa graphicè depicta erigit, & quantam pictor in pingendo licentiam, tantam ille sibi in medendo, potestatem arrogat. Ubi se hianti vulgo sensim insinuavit, tandèm non animis tantùm sed crumenis illabitur, faciles suaviter emungit atq; expilat auditores, dignos meherculè qui hanc stultæ credulitatis mulctam patiantur. De *Vromantis* & mendacibus Lotiiariolis pudet dicere, quod illos tamen facere haud pudet; de morbis universis è solâ matulâ, tanquam ex Tripode, pronunciant. Deflendum verò illud an ridendum potiùs illiteratos quosdam Empiricos, Alchymistas, *Pharmacopolas*, Chirurgos, & etiam Medicorum *famulos*, ac mancipia, postquam formulas quasdam balbutire

didicêrunt, repentè artifices ipſis quidem dominis pares prodire, decumbentibus ægrotis remedia & leges præſcribere nulli magis callent, & ſi quid peritiæ deeſt, fiduciâ egregiè compenſant. At nos literulas ſtulti docuêre parentes. Nos Academia annorum tædia, & tarda momenta pertranſire, ac ſeverâ lege jubet proficere; cum hi fungi unâ nocte naſcantur Doctores, & invito Æſculapio ſupremos Medicorum honores & titulos invadant; at quanto cum Reipublicæ damno, & artis opprobrio, denſata ſenum ac juvenum funera miſerè teſtantur, intempeſtivæ morientium querelæ, parentum, liberorum & affinium luctus ploratuſq; homicidas ac Carnifices, non Medicos adfuiſſe, ſerò ac nequicquam docent. Tum verò culpa in ipſam artem transfunditur, & iniquiſſimâ cenſurâ alieni ſceleris & ignorantiæ immerentes artifices luunt peccata. Nec minus Arti noſtræ ipſiq; etiam Naturæ convitium faciunt ſeveri Fatorum Patroni, qui nupero & redivivo Stoiciſmo, ſpretis humanis quibuſcunq; ſubſidiis, cunctos ab ineluctabili neſcio quâ cauſarum ſerie pendulos faciunt. Cùm enim unicuiq; naſcendi moriendiq; leges ab æterno fixæ ſint,

vitam

vitam arte prorogare velle, immotigeri planè videtur & Fato ſuo rebellis. Ita funeſtâ hâc ſententiâ mortales Naturæ præſidiis brevi compendio ſpoliamur, & miſeris ægrotis non ex herbis pharmaciſq; ſed ex ſolâ ferendi neceſſitate ſolatia lucranda ſunt. At alia longè & clementior Naturæ vox eſt, quæ non noſtram tantùm nobis, ſed & alienam ſalutem charam eſſe juſſit, atq; adverſus tot peſtes & vitia indies naſcentia, non paucioribus orbem remediis implevit; & quanquam ſæviſſimis undequaq; hoſtibus obſeſſi teneamur, plurimas tamen erumpendi, & hoſtiles acies profligandi vias monſtravit. Tot morborum legionibus & copiis, ſalutarium herbarum & medicamentorum denſas quaſi Phalanges oppoſuit; quibus irruentes ægritudinum catervas in fugam vertit, & pænè de ipſâ morte ſpecioſam ſæpè victoriam reportavit. Quoties enim perituros, deploratos, & extrema jam ſubeuntes, Artis noſtræ vires in integrum reſtituerunt? conclamato ferè ægro derepentè ſanitas illuxit, & inſperatò Medicus, tanquam ex machinâ, Deus occurrit. Vidimus Medicorum opem implorantes, ex ipſo jam veſtibulo & orci faucibus ereptos, ſuperbis inte-

rim Artis noſtræ contemptoribus, meritâ morte, faſtidii ſui, & contumaciæ pœnas luentibus. Illud porrò ſuave eſt, & magnæ inſtar vindictæ, Stoicos ipſos, & ſtrenuos Fati propugnatores, qui profeſſionem noſtram, dum vigent, valentq; cachinno & ſannis excipiunt, cùm hæret lateribus infixus dolor, & pertinax valetudo exitium minatur, ſupplices ad Medicinam manus tollere, opem veniamq; humiles orare, & minimè fictâ pœnitentiâ falſa in Artem recantare opprobria. Ecquid verò mirandum eſt, ingratos quoſdam & iniquos rerum æſtimatores, Profeſſionem noſtram maledictis inceſſere, cùm olim impius ille Syracuſarum tyrannus ne ipſi quidem Æſculapio pepercerit, quem ſacrilego joco aureâ barbâ ſpoliavit? Neq; hodiè deſunt, qui ſacra & ſuperos omnes petulantèr contemnunt. Verùm ut paucorum impietas ipſam religionem extinguere nunquam potuit, ita nec malignorum convitia & opprobria impedire poſſunt, quin ſuus Medicinæ honor & veneratio deferatur, cui ubiq; terrarum publico humani generis conſenſu non laudes tantùm & præconia, ſed præmia etiam ampliſſima debentur. Quanquam ſanè conſtat Medicinæ beneficiis nullam

satis dignam mercedem rependi posse : Vita quippe & salus pretium quodvis longè superant, præ quibus thesauri omnes & ditissimorum opes vilescunt. Quid enim divitiæ, quid aurum & gemmæ languentibus Dominis, & animam agentibus prosunt ? QuisFebre præcordia urente & crudeli morbo intra viscera tyrannidem exercente, sanitatem regiis Persarum gazis non anteponit ? Inter diros corporis cruciatus, quem pecuniæ suæ, quem literæ aut studia solantur ? una tum temporis in auxilium Medicina vocatur. Non Mercator naves suas aut nummos, non Causidicus leges, neq; scientias literati morantur ; sed reliquis omnibus abjectis, solam Artem nostram implorant, atq; unicè utilem & salutiferam haud dissimulanter agnoscunt. Celebrem illam & decantatam apud veteres controversiam, cujus antiqui Rhetores meminerunt, liceat nunc apud vos, non contendendi sed animos potiùs oblectandi causâ, recensere. Pater tres filios habebat ; *Philosophum, Oratorem, Medicum*, testamento illum è tribus hæredem reliquit, qui suam professionem Reipublicæ utilissimam probaret. Si in hoc concessu, & apud vestrum tribunal causam suam

agerent, facilè vinceret Medicus. Immò quis æquus Judex eandem vobiſcum ſententiam haud pronunciaret? Jactent ingenia,& de præſtantiâ ſuâ glorientur; unum hoc interrogare velim, ſi Oratorem, ſi Philoſophum morbus invaſerit, qualem Reipublicæ operam navare poſſunt, niſi utrumq; Medicus ſublevarit, & ſanitati reſtituerit? Si igitur eloquentiæ, ſi aliarum artium periti patriæ ſuæ utiles adeò & neceſſarii ſint; quid de illo ſentiendum, qui hos ipſos ſalvos & incolumes Reipublicæ præſtat? Is certè de omnibus optimè mereri cenſendus eſt, ad quem omnes confugiunt, qui à periclitantibus univerſis invocatur, cui vitam ſuam & ſalutem cujuſq; ætatis atq; etiam Profeſſionis homines commendant. Non mihi animus eſt, ingratâ comparatione reliquarum artium gloriam minuere, neq; aliarum contumeliâ Medicinæ laudes augere. Illud potiùs opto voveoq; ut diſciplinæ omnes famâ ſuâ meritiſq; præmiis & honoribus fruantur. Unum tamen hoc æquiſſimum poſtulo, ut quæ hominum vitæ utilis maximè & neceſſaria eſt, quæ per totum terrarum orbem beneficia ſua ſpargit & diſpenſat, quæ aliarum omnium ſcientiarum peritis opem

& salutem benignè impertit, ab omnibus pariter justam venerationem consequatur; suoq; hoc est maximo, pretio æstimetur.

Quòd si ad nobilissimam artem nostram celebrandam ampla satis materia aliundè haud suppeteret, unus ille HARVEUS, cujus beneficiis grato animo celebrandis hodiernum diem meritò dicavimus, unus inquam ille, argumentorum abundè subministraret: quem eò potissimùm fine Natura produxisse videtur, ut industriæ, eruditionis, ingenii & liberalitatis, nobilissimum mortalibus exemplar exhiberet. Recensere haud opus est, quo solo, quibus parentibus, quâve sit ortus prosapiâ, quâ Scholâ pubescentibus annis illiqs germinaverit indoles; quibus demùm Academiis quasi maturitatem acquisiverit. Nos potiùs divinos ingenii & liberalitatis fructus miremur; quibus *Collegium* hoc, quibus Patriam, quibus Rempublicam Literariam insigniter ornavit, adeò ut benefactorum nostrorum Coryphæus, Britannicæ splendidissimum lumen, literati orbis decus, Medicinæ & Anatomicæ artis miraculum evaserit. Hi tituli HARVEO nostro,

ſtro, hæc præconia ſummo jure debentur. Verè quidem ſapientes neminem ſibi tantùm naſci prodidêrunt ; at HARVEUM amicis, propinquis, patriæ demùm & toti quidèm orbi genitum rectiſſimè dixerim ; cujus ut gloria non Inſulæ hujus anguſtiis continetur, ſed per diſſitas provincias pervagata eſt : ita labores ejus & utiliſſima inventa, non hanc quam incolimus regionem, non præſens hoc quo vivimus ſæculum, ſed omnes ubique gentes, poſteroſq; univerſos, obſtrinxêrunt. Si me ficta aut ampliora vero proferre quiſpiam ſuſpicetur, has ipſas ædes, HARVEANÆ liberalitatis, libroſq; ab ipſo conſcriptos, HARVEANÆ doctrinæ teſtes produco. Oculis noſtris quotidiè incurrunt tum munificentiæ ipſius, tum eruditionis monumenta, quæ certare inter ſe & contendere videntur, utra magis HARVEUM attollat. Ille verò feliciſſimus qui utramq; ſimul conjunxit, quarum vel una ad juſtas laudes & præconia ſuffeciſſet. Non illi ſatis fuit Medicinæ ſacris operam dare, niſi eidem ſacrarium quoq; conderet ; & quaſi templum quoddam erigeret, & ſe Artis Apollineæ cultorem ſimul & patronum exhiberet. Suo ære, ſuis unius impenſis Senaculum

culum eleganti ſupellectile ornatum, *Bibliothecam* & Armarium libris atq; inſtrumentis locupletatum, digniſſimum Muſis habitaculum, & auguſtum Medicinæ velut Palatium extruxit. Hæc illius opera & munificentiam, etiam ſilentibus nobis, ipſi parietes loquuntur. Quos illi Pater fundos, ille nobis tanquam filiis ſuis reliquit; & amplos annuoſq; reditus Collegio aſſignans, Societatem noſtram ſibi ex aſſe hæredem eſſe voluit. Scripta verò ſua, & doctiſſimas elucubrationes non nobis tantùm, ſed gentibus univerſis & toti orbi velut commune patrimonium legavit. Quis enim illud publicum beneficium eſſe negaverit, humano generi ortus ſuos & primordia oſtendere, & ſanguinis, quo vivimus, quo fovemur, quo totum corpus ſingulis momentis irrigatur, motum variaſq; reciprocationes monſtrare? quæ quidem antea, ut Nili fluminis ortus, occultæ & incognitæ latebant. Nobis ipſis ignoti quodammodo vivebamus, & originem noſtram ac naſcendi modum, mirari potiùs, quàm ſcire dabatur: donec HARVEUS ſtupendâ ſagacitate & ſolertiâ grande hoc ſecretum aperuit. Opificis Naturæ ſeminaria & prima velut rudimenta, quo-

tidianos dein progressus claram in lucem produxit. Artis nostræ Systemata, tum quoad Theoriam, tum quoad Praxin quamplurimi elaborârunt, & varias medendi methodos scriptis tradiderunt: præclara quidem & laudanda, trita tamen & usitata proferentes, & ab innumeris ferè repetita & decantata. At HARVEUS felicissimâ subtilitate nova & antehac inaudita depromens, Arti huic ingens gloriæ incrementum attulit, & intima Philosophiæ penetralia scrutatus, Naturæ arcana hactenus latentia, magnâ cum suâ laude & admiratione, majori verò humani generis bono divulgavit. Videntur mihi HARVEI fama & ingenii monumenta, ipsius sanguinis instar, circulo quodam decurrere, & ex Britanniâ nostrâ velut ex corde & meditullio quodam initio ducto, per alias terras nationesq; tanquam arterias & venas diffusa, maximo laudis & gloriæ accessu iterum ad nos unde primùm prodierat remeare, & domum velut postliminio reverti. Ne verò nimia tanti viri admiratione, veritatis & modestiæ limites transilire videar, vos (spectatissimi Collegæ) universos appello, ad vos provoco, qui longè ampliora encomia, velut commune vestrum

de

de HARVÆO judicium, aureis literis inscribi curastis. Liceat mihi publicas illas voces recitare, & vestris potiùs verbis, quàm meis, HARVÆUM laudare.

INDUSTRIA, SAGACITATE, SUCCESSu NOBILIS, PERPETUOS SANGUINIS ÆSTUS CIRCULARI GYRO FUGIENTIS PRIMUS PROMULGAVIT MUNDO, NEC PASSUS ULTRA MORTALES SUA IGNORARE PRIMORDIA, AUREUM EDIDIT DE OVO ATQ; PULLO LIBRUM, SIC NOVIS INVENTIS APOLLINEAM AMPLIAVIT ARTEM, MERUITQ; ESSE STATOR PERPETUUS.

Vestras voces vestrum testimonium agnoscitis,

quibus HARVÆI famam omnium ſæculorum memoriæ conſecrare voluiſtis. Mea quidem brevis, & exilis citò evaneſcet oratio; at veſtra, quibus HARVÆUM extuliſtis, elogia, diutiùs quàm marmor illud, vel ædes iſtæ duratura, & illius laudes ac veſtram ſimul gratitudinem ſeris nepotibus eloquentur. Date verò mihi veniam, ſi ne veſtra quidem præconia HARVÆO ſatis digna aut paria eſſe fidenter aſſeram, de quo quicquid protuliſtis, longè infra tanti Viri doctrinam & merita ſubſidit; & quantacunq; dici poſſunt, majus tamen ſupereſſe arbitrandum eſt. Mihi igitur, uti ſpero, facilè ignoſcetis, ſi HARVÆUM dignè ſatis prædicare unus haud queam, quem ne vos quidem univerſos conjunctis eloquentiæ viribus, prout eruditio ipſius & beneficentia meretur, celebrare poſſe fatendum eſt. Enimvero non alienâ facundiâ, ſed propriâ virtute Heros noſter clareſcit. *Anniverſariâ* hac commemoratione, noſtra potiùs gratitudo, quàm illius fama illuſtratur. Marmoream illi ſtatuam ereximus, ſed noſtræ magis obſervantiæ quàm illius gloriæ monumentum. Hanc ille perpetuam & æternam abſq; elogiis noſtris, ſine titulis & imaginibus,

pro-

propriis inventis consequetur. Illa porrò felicitas, quæ plærisq; Scriptoribus denegata est, HARVÆO nostro contigit, ut vivus videnſq; universos pænè literatos sibi gratulantes haberet; & non posterorum modò, sed sui etiam sæculi applausum mereretur, & ante obitum extinctâ invidiâ de adversariis suis, & malevolis triumpharet. Non deerant *Obtrectatores* ad calumniandum proni, qui famam & scripta ejus livido dente arroderent, quasi hæc de sanguinis circuitu mysteria *Cæsalpino* & *Hoffmanno* priùs innotuissent; non tam illorum gloriæ studioſi, quàm HARVÆI famæ invidentes. Quid vobis referam morosum nimis & cavillantem *Riolanum*, quem HARVÆUS ipse manſuetâ & placidâ argumentatione flexit vicitque. *Parisanum* doctissimus *Entius* HARVÆI [illegible] prostravit, & inermem ac elinguem reddidit. Quin & reliquis tandem veritatis hostibus debellatis, glorioſam beatissimus senex victoriam reportavit; doctis illi undequaq; palmam deferentibus, cujus immortalis animus terrenâ corporis mole exutus, ipſa jam sidera & circulantes cœlos contemplatur. Illud verò præcipuè hodierno die inter HARVÆI en-

comia referendum est; quod, ut Medicos omnes doctrinâ, ita Medicorum patronos, beneficentiâ superaverit, non tantùm ingenii, sed & liberalitatis gloriâ omnibus præcellens. Amplam quidem *Benefactorum* catervam Collegio nostro gratulor, quæ utinam indies numerosior fiat. Inter Patronos nostros recensemus *Henricum*, *Mariam*, *Elizabetham*, *Jacobum*, *Carolum*, serenissimos Angliæ reges & reginas. *Arabellam* quoq; *Stuartam* & *Mariam* Comitissam, *Lumleium* Baronem. Nostræ etiam professionis splendidissima Lumina, *Linacrum*, *Atkinsum*, *Gulstonum*, *Readum*, *Foxum*, *Meverellum* alioſq; celebres hujus Collegii alumnos; qui tamen, HARVÆO comparati, ut Soli minores stellæ, facilè cedunt; & quanquam ætate priores, munificentiâ tamen posteriores & impares censendi sunt. Illi in secundis tertiisq; & aliquo saltem numero atq; ordine reponantur; huic verò uni primas ut æquum est deferamus, & inter celeberrimos Collegii hujus alumnos, inter maximos Reges Principesq; ipse benefactorum nostrorum princeps jure statuatur. Singulos quidem hodierno die gratâ commemoratione & honore prosequimur; quos,

 etiamsi

etiamsi defunctos, gloria tamen & fama superstites reddit, & pæne jam nunc vivos & præsentes nobis sistit. Ut clarissima sidera, licet occasum suum habeant, semper tamen nativâ suâ luce & fulgore, quanquam sub terris condita, fruuntur; ita splendidissima Benefactorum lumina quanquam sepulchrum velut horizontem subierint, virtutum tamen suarum & doctrinæ fulgorem retinent adhuc, semperq; retinebunt, & coruscantes famæ suæ radios æternum usq; spargent & emittent.

Verum ut Sole præsente nemo Stellarum absentiam queritur aut plorat: ita nobis (Auditores) non tam dolendum est, quòd Harvæo, *aliisq; præclarissimis sideribus careamus, quàm lætandum, quod nuper, Cœlo favente, velut Phœbus alter nobis illuxerit Augustissimus Rex noster* Carolus. *Quem exorata nobis Numina in Britanniâ nostrâ oriri, & glorioso tandem Diademate cingi voluerunt, ut afflictæ Reipublicæ Medicus, seu potius* Soter, *& Liberator exi-*

 steret.

steret. Quam faustus ille & optatissimus nobis Dies, quo Insulam hanc languentem & extrema jam perpessam adventu suo restituit. Cum Britanni omnes ægri & sauciati ad conspectum illius non minus exultarent, quam si ipsa jam Salus sese omnium oculis visendam præbuisset. Afflictis & laborantibus undiq; succurrit, nec Strumosos tantùm, sed Britannos universos diro morbo, hoc est, truculentissimâ Tyrannide oppressos, divinâ ope sanavit. Optimi Principis modestia Senatum suum seu Parliamentum nuper [illegible] insigniri voluit: quem quidem titulum quis non ipsi potiùs justissimè deferendum censeat? Cum enim Respublica propè exanimis langueret, & nihil pænè in magno hoc corpore præter vulnera & putidissima ulcera cernerentur, salutaris hic Apollo fœlicitèr accessit. Cui verissimum ex Arte nostrâ cognomen dare liceat,

& Patriæ Medicum *meritò appellare, cujus unius incolumitate universorum salus continetur.*

Verùm hæc Annalibus potiùs & Historiis celebranda relinquamus; nobis non Principis erga omnes, sed privatorum erga nos & Medicinam beneficia memoranda sunt. Nec defunctis tantùm Patronis, sed viventibus etiam suæ laudes jure debentur: Quos quidem ingrato silentio præterire piaculum duco. Artis nostræ præconia ampla satis & magnifica in immensum nuper auxit, & illùstriora suâ luce reddidit nobilissimus & simul doctissimus *Marchio Dorcestrensis.* Tanto quidem Patrono, cultore, alumno, triumphat Medicina & seipsâ quasi altior assurgens, hujus nunc titulis atq; virtutibus gloriatur. Cùm se Medicorum Familiæ inseruit, non de fastigio suo descendit, sed Artem potiùs nostram secum evectam sublimiorem effecit. Privilegia, honores variasq; immunitates Domui huic Reges Principesq; liberalitèr *sanè* contulêrunt. Hic verò, quod longe majus & honorificentius est, seipsum nobis impendit, socium se & velut incolam ædium

noſtratum præbens,& illuſtre nomen ſuum Profeſſoribus adjungens, illos, quantum in ſe eſt, nobiliſſimis Principibus, hoc eſt ſui ſimilibus, adæquavit. In Collegii hujus ſocietatem admiſſus, quem honorem, quantam dignationem nobis omnibus attulit? ut facilè conſtet, beneficium accipiendo dediſſe, & dantes obligaſſe, dum Nobilitatem non obſcurari, ſed ab Arte noſtrâ potiùs illuſtrari fatetur. Nec unquam ex animis noſtris excidat opportunum digniſſimi Doctoris *Hamei* beneficium, non erga nos modò, ſed erga tecta ipſa, quæ fœliciratem ſuam ſentire & lætari videntur, ab impoſtoris infami poſſeſſione tanti Patroni ſumptibus vindicatæ. Haud minùs certè glorioſum eſt, Collegium hoc ab interitu ſervaſſe, quàm primitùs condidiſſe. Illius benignitate effectum eſt, ut locus jam nobis & domicilium ſuperſit, quo aliorum quoq; beneficiis liberè perfruamur. Sit illi, ſit etiam aliis ſemper hic animus de Medicinâ bene merendi, nec in tam pulchro opere cujuſquam vel Fortuna vel Voluntas unquam laſſetur. Noſtra in Poſteros beneficia majorum erga nos munificentiæ pariter reſpondeant, nec tam privatæ, quam communi omnium

um ſaluti conſulamus. Unum ſit inter nos certamen, & laudanda contentio, ut utiliſſimis inventis, Medicinæ honorem & Artis noſtræ quaſi Pomœria ampliemus. Hanc viam ſibi ad famam & immortalitatem ſtravit HARVÆUS, quem fœlicitèr præeuntem utinam alii quoq; pari curſu ſequantur. Quid Profeſſioni noſtræ magnificentius aut Collegio huic glorioſius optare poſſum, quàm ut plures ſint, qui HARVÆI exemplo ſcriptis benefactiſq; ſuis ſtatuas hic ſibi poni mereantur? Hoc tandem voto deſinam (benevoli Auditores) ut totam ſe in vos *Hygieia* effundat, & omnia ſua beneficia, opes, ſalutem, gloriam, Medicina vobis cumulatè impertiat; ut non præſens modò ævum beati & florentes tranſigatis, ſed apud Poſteros quoq; celebres & ſuperſtites, vitam famamq; veſtram æternum prorogetis.

FINIS.